

15662.

DE
LINI GATHARTICI
VI PURGANTE OBSERVATIONES.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICO-PHARMACO-
LOGICA
QUAM
CONSENTIENTE AMPLISSIMO ME-
DICORUM ORDINE

IN
UNIVERSITATE LITERARUM CAESAREA
DORPATENSI
UT GRADUM
DOCTORIS MEDICINAE
RITE ASSEQUATUR
LOCO CONSUETO PUBLICE DEFENSURUS

CONSCRIPSIT
GUILIELMUS MORITZ,
DORPATI-LIVONUS.

DORPATI LIVONORUM,
TYPIS J. C. SCHUENMANNI, TYPOGR. ACADEMICI.
MDCCCXXXV.

BOLESTE
ACADEM:
DORPAT:

1003

I M P R I M A T U R

haec dissertatio, ea conditione tamen, ut, simulae
typis fuerit excusa, quinque ejus exempla collegio libris
explorandis constituto tradantur.

Dorpati die XXIX, m. Mart. a. MDCCCXXXV.

DR. ALEX. HUECK,
Ord. Med. h. t. Decanus.

VIRO

ILLUSTRISSIMO DOCTISSIMO

HERRMANNODE BLUHM,

Med. et Chir. Dr. Imper. Maj. Ross. a cons. stat.

Nosoc. St. Mariae et St. Catharinae med. Ordin.

St. Annae secund. Class. c. adamant. St.

Wladimiri tert. class. equiti; plur.

soc. liter. sodali.

AVUNCULO PRAEDILECTO

1003

D 168-83

PIA GRATAQUE MENTE DISSERTATIUNCULAM

HANC QUALEM CUNQUE OFFERT

AUCTOR.

L. B.

Summos in arte medica honores ambiententi cum ex antiquo more dissertatio mihi esset conscribenda, de themate, quo exposito legibus academicis satisfacerem, aliquamdiu haesitavi. Partim enim spe nova dicendi non elato mihi omne quidem, quo officio illi satisfacerem, argumentum arrisit, partim vero verecundia et scientiae saluberrimae studium quae me tenent a temere suscipiendo opere me temporis angustiarum viriumque mearum moduli haud immemorem retinuerunt. Benigno igitur, B. L., et indulgenti animo accipias, quae non sine sollicitudine tibi offero.

Remedium, quod etiamsi non novum, parum tamen vel potius omnino non amplius in usum vocatur, — limum catharticum, — tractandum

VI

elegi, variorum pharmacologiae scriptorum laudibus commotus, qui illam lini speciem secundum omnia, quae exstant, experimenta absque ulla molestia tutoque alvum purgare praedicant, et senescentis jam in re medica esse famae plerique dolent. Quae respiciens, et inter remedia pari effectu gaudentia quum peregrinis vernacula praeferenda censeam, experimenta repetere non alienum putavi.

Nequaquam tamen me fallit, observationes a me institutas judici forsitan severiori haud omnibus modis probari posse, praecipue cum in aegrotis experiendi rara sese praebuerit occasio. Cui accedit, scripta quaedam huc pertinentia, ut Raji plantarum historiam, unicamque inprimis, quae de hoc themate edita est, monographiam: Slevogti de Lino cathart. programma (Jenae 1715) legere mihi non contigisse, quare L. B. desiderandorum causa ex parte erga te excusatum me velim!

INTRODUCTIO.

Linum catharticum (a verbis *λίον* et *καθαίρω*, purgo, derivandum) Germanice: *Purgierlein*, *klein Leinkraut*, *wilder Grasslachs*, *Purgier*, *Berg*, *Wasser*, *Wiesen*, *Kraut*; *Flachs*; Anglice: *Purging Flax*, *Mill mountain*; Gallice: *Lin sauvage purgatif*; Hispanice: *Cartilagua*; Lusitanice: *linho purgante*; Italice: *lino purgativo*; Batavice: *Wild Vlas*, *Purgeer-vlasch*; Danice: *Liven vildhoer*; lingua Sanscrit: *villhoer* denominatur. — Veteribus Europaeis certe non innotuit, neque enim apud Hippocratem, nec a Dioscoride, nec Aretaeo et Galeno mentionem ejus factam invenimus. Primus id laudans quis fuerit, quave e terra haec commendatio profecta sit in dubio relinquamus, cum e librorum acervo, quos hoc scopo evolvimus, nullum ejusmodi ceperimus fructum. Ineunte saeculo decimo septimo Batavum Clusium (t) primum hancce plantam sub nomine

1) Clusii rariorum plantarum historia. Antw. 1601.

Chamaelini flore albo descripsisse invenimus. Eodem tempore, immo decennio abhinc praeterlapso, Germaniae ne botanici quidem hanc lini speciem cognoverunt. Dctss. enim **Tabernaemontanus**(2) quamvis quinqué lini species descripsit iconesque addiderit, nullius tamen, quae pro nostra lini specie haberi possit, mentionem fecit. In Britannia non multo post **Johnson**(3) hanc sub nomine **Lini sylvestris cathartici** descripsit plantam. Tunc temporis etiam a **Parkinsono**(4) lini nostra species nomine **Chamaelini Clusii** flore albo allata est. Ambo jam ad vim purgantem respexerunt. Sequuntur in Germania meridionali opera botanica **Bauhini**(5), **Cherseri**(6) atque **Chabraei**(7), qui sub denominatione **Alsines vernae glabrae** de nostra planta mentionem fecere. Paulo post **Tournefort**(8)

-
- 2) **Tabernaemontanus**: *Neu und vollf. Kräuterbuch* v. *Frankf. a. M.* 1613. Lib II. pag. 526.
 - 3) *The Herbal or General History of Plants* by **T. H. Johnson**. Lond. 1636. pag. 560.
 - 4) **Parkinsonus**: *Theatr. botanic.* London 1640. pag. 1336.
 - 5) **Casp. Bauhini**: *Pinax theatri botan.* Basileae 1671. pag. 214.
 - 6) *Hist. plant. univ. auct. Chersero et Bauhino.* Ebrod. 1650. Tom. III. p. 455.
 - 7) **Chabraei** stirpium icones et *Sciagraphia*. Genevae 1666. pag. 480.
 - 8) **Tournefort**: *Elements de Botanique.* Paris 1694. pag. 282.

et **Morisonus**(9), qui vim purgantem etiam leniter attigit, sub nomine **lini pratensis** flosculis exiguis descriperunt. Initio saeculi sequentis **Barrelierus**(10) plantam hanc **Chamaelinum subrotundo folio** nominans depinxit. **Michaelis**(11) quidam lini huic speciei nomen **Linocarpon** tribuit. A **Linnaeo**(12) denique **Linum catharticum** denominatum est, qua etiam voce ad nostra usque tempora omnes, fere, qui de planta hac disseruere, usi sunt. Haec variarum, quae exstant, plantae nostrae denominationum expositio docet, medicamentum nostrum, quamvis cujusque terrae incolis cognitum, ab initio in Europa potissimum ab Anglis in auxilium vocatum a ceteris autem gentibus mox denno neglectum fuisse. Tali modo etiam si quis passim majoris duxerit pretii **linum catharticum**, ad nostra usque tempora res sese habuit. Hodie enim, quamvis *Pharmacopoeiae rossica, saxonica, genevensis, londinensis* etc. plantam receperint, attamen, quantum scio, duobus tantum in locis familiarior **lini cathart.** usus est, scilicet in *Angliae occidentali plaga* atque in *Insula Oesel*.

-
- 9) **Morison**: *Plant. histor. univ. Oxoniensis.* Oxon. 1680—99. Pars II. pag. 575.
 - 10) **Barrelierus**: *icones pl.* Paris 1714. pag. 1165.
 - 11) **Michaelis** apud **Dale** in *pharmacologia.* Lugd. Bat. pag. 260.
 - 12) **Linnaei** genera plantar.

PARS PHYSIOGRAPHICA.

Linum cath. a systemati plantarum artificiali Linnaei addictis Pentandriae pentagyniae, secundum systema quoddam naturale antiquius Grunaliibus, a cl. Jussieu Caryophyllaeis, a cl. Lindley Linacis adnumeratur. — Hoc fere modo planta nobis describenda esset (*).

Radicula tenuis, alba, fibrosa, fibrillis aliquot instructa cauliculos emittit nonnihil reptantes, mox humo ad palmum et altius se attollentes, basi simplices, superne dichotomos, tenues, teretes, prope terram rubentes, geniculatos, fastigio sursum ramoso, nutante. Folia infima mucrone obtuso et subtunda sunt, superiora quae in caulibus bina opposita, crebra, exigua, ovato-lanceolata, semidigitalia, glabra, integra, margine scabriusculo, ad culmum lata absque petiolis adnata. Inflorescentia parvis ex paniculis constat. Flores terminales axillaresque solitarii, inferi, penduli ante anthesin, pediculis longis tenuibus insident. Quod calycem attinget: perianthium pentaphyllum erectum, parvum, persistens est, laciniis ellipticis acuminatis, subtilissime serrulatis, glanduloso-ciliatis, capsulae longitudine. Corolla colore albo, infundibuliformis, quinque petalis oblongis, obtusis, (minime bifidis) cum apicibus totidem in medio luteis atque insertis ope quinque unguum annulo perigyno una cum filamentis. Stamina:

*) exactiores, quae plantae hujus exstant descriptiones a Linnaeo, Geoffroy, Lachmann etc. in unam conferentibus.

filamenta quinque subulata, erecta, longitudine calycis. (Rudimenta insuper adsunt quinque alternantia.) Antherae simplices, sagittatae. Filamentum: germen ovatum; styli quinque, filiformes, erecti, longitudine staminum; stigmata simplicia, reflexa. Pericarpium: capsula globosa, rude pentagona, decemlocularis, decem introrsum flexis valvis. Semina solitaria, lucida, lubrica ovato-planiuscula, acuminata, glabra, albumine carentia. — Afferendum etiam est, *linum cathart.* interdum floribus tetrandis tetragynis variare. Monentibus cl. Tromsdorf (14) aliisque, caveamus ne *Linum cathart.* cum *Lino radiola L.* (*viertheiliger Lein*) vel cum *Cerastio semidecandro L.* confundamus, quarum plantarum prior longe minor tenerior, floribusque quadripetalis, tetrandis tetragynis est. Praesertim quia, uti mentionem fecimus, quinta *Linum cathart.* pars non raro deficit, hae plantae faciles sunt permixtu. *Cerastium semidecandrum* foliis ovatis, pilosis est atque in pascuis campisque arenosis habitans, mensibus Majo et Junio floret.

Planta nostra annua mensibus Junio ad Augustum florens in pascuis siccoribus montosis atque cretaceis, sed etiam in campis succulentis pratisque humidis ut in tota Europae parte septentrionali, ita etiam in nonnullis nostrae terrae plagis creberrima occurrit. Quamvis pro soli qualitate trium ad octo tantum pollicum magnitudinem attingere dicatur, caules tamen duode-

14) Tromsdorff's pharmacolog. Lexicon. Hamburg et Mainz 1802. Bd. 1. pag. 746.

cim longe superantes pollicum mensuram saepissime videre mihi contigit.

Herba Lini cathart. odore caret; et cum constet, de gustu non esse disputandum, mirum sane nobis haud erit, fuisse, qui saporem acrem, alios qui subsalsum, alios qui amarum dixerint; omnes autem nauseosum nominant. Subamara-nauseosus mihi etiam videtur. Afferam etiam, recentem herbam ob tenacitatem difficilem mauducatu esse.

Quum apud omnes, quos de lino cathart. disseverentes legi scriptores chemicam hujus plantae analysin frustra investigassem (si excipias a cl. Geoffroy (15) institutam, quae, cum antiquior jam sit, tempori hodierno non amplius omnino satisfacit) — chemiae quendam cultorem doctissimum, denuo ut examini chemico lino cathart. submittat, rogavi. Isto autem occasionem hancce ad promovendam doctrinam ob temporis angustiam recusante, potissimo hocce, cui confidere licet, fulcro destitutus, jam illam Geoffroyanam analysin afferre quoad sequentia haud inutile duxi. En quae dixit: „Analysi chemica ex Lini cathart. floridi ℥v, per vaporarium destillatis, prodierunt humoris limpidi, primum odoris et saporis fatui, obscure subsalsi, deinde obscure subacidi, ac tandem manifeste subacidi, ℥ijj, ℥vj, ℥j, grxj. Massa superates per retortam destillata praebuit: humoris rufescentis, leviter empyreumatici, tum acidi austri tum leviter acali — urinosi ℥ijj, ℥vj,

14) Geoffroy: Tractatus de Mater. med. Parisiis MDCCXLI, Tom. III. pag. 74t.

grix: humoris rufi, empyreumatici, sale volatili alcali urinosi ℥ijjβ, grix: olei fere adiposi ℥ij, ℥vj, grxxxiv. Massa nigra in retorta residua pendebat ℥vj, ℥vj, grxxxvj, quae rite calcinata per quindecim horas reliquit cinerum ℥j, ℥vj, grxxijj, e quibus lixivio salis fixi alcali ℥ijj, grxvj extracta sunt. Partium jactura in destillatione fuit ℥vjβ, grxvj; in calcinatione ℥vj, ℥j, grxjj.“

PARS CATAGRAPHOLOGICA.

In usum ducuntur caulis, folia et capitula exsiccata, vel ut breviter dicam tota, excepta radice, planta aut sicca aut recens variis in formis. Lino cathart. in pulveris formam reductum jam Linnaeus (16) impense commendavit ad drachmam unam usque, eandem dosin Geoffroy (17) et Richter (18). Pulveris drachmam dimidiam ad scrupulos duos Pharmacopoeia Wuerttembergica (19) et Trommsdorff (20) sufficere arbitrantur. Admiscebant drachmae lini pulveris Linnaeus et Bowle (21) tantillum cremoris tartari et seminum Anisi ut promptius et mitius operetur. Infusum adhibetur

16) Linnaei Amoenitates etc. Vol. 7. pag. 300.

17) l. c. pag. 742.

18) G. A. Richter: ausführliche Arzneimittellehre. Berlin 1827. Band 2. pag. 396.

19) Pharmacop. Wuertemb. MDCCXLI.

20) l. c.

21) apud Murray in: apparatus medic. Gotting. 1784. Vol. III. pag. 491.

aquosum et vinosum; alterum, ex herbae siccae drachmis duabus cum aliquot uncis aquae, e. c. quatuor paratum atque pro dosi sumendum, Linnaeo (22) arridebat, alique cum eo consentiunt istam quantitatem pro dosi propinari jubentes, si excipias Richterum, qui istius infusi duas ad tres pro dosi uncias praescribi vult et Swediaur (23) qui drachmis duabus aquae libram infundendam esse censet. Aquoso etiam infuso a Gesenjo cremoris tartari drachma una ad duas adjiciebatur. Vinoso in infuso eadem cum totidem vini albi uncis pulveris dosis infunditur, jamque a Linnaeo valentorem exserere effectum dicitur. Lini cathart. recentis folia contusa ad drachmam unam aut alteram in boli formam rediguntur secundum Geoffroy. Afferendum etiam est (24), Hibernis olim familiare fuisse medicamen, et a nonnullis occidentalem Angliae plagam incolentibus adhiberi infusum e plantae florecentis integrae manipulo et seri lactis uncis sex per noctem digestis, maneque post colationem syrupi rosarum pallidarum uncia una remixtis. — Pariter ab insulae Oesel incolis maguo cum successu adhiberi dicit hoc remedium cel. Richter (25). — Ex omnibus his, quas attuli, adhibendi formis, tantum pulverem cum saccharo commixtum (ejusque pro dosi scrupulum ad drachmam) atque

22) Linn: Amoen. acad. Vol. III. pag. 72.

23) Pharmacologia auct. Swediaur. Parisiis MDCCCIII.

24) Murray l. c. et Tromsdorf. l. c.

25) Richter l. c.

aquosum vinosumque infusum in usum vocavi, partim, ne ex admixtionibus mera turbetur observatio, metuens, — ex parte quia hiemali, quo institui observationes, tempore, exsiccata eum herba mihi experiendum erat.

OBSERVATIONES.

Sequantur nunc ex observationum, quas per tres fere menses institui, numero, eae tantum, in quibus effectus secundus adversusve, nulla re fortuita turbante, certus mihi fuisse videbatur, cum ob hominum spectatam fidem veritatisque amorem, tum quia in infantibus adultisque parum cognitis alii qui aderant idem edixerunt.

A) In hominibus sanis.

a) pulvis lini cath.

Obs. I. Fridge Idus Januar. de vi lini cath. purgante apud me experimentum feci. Plerumque alvum durum et si vis tardiusculam deponens, cum matutino tempore dejecissem solidam, hora undecima lini in pulveris formam redacti scrupulos duos deglutivi. Meridiana modice assumta coena, nullisque qui ulla ratione examen purgando turbare possent, cibis usus, quinta pomeridiana hora internae ad alvum dejiciendam impulsioni satisfaciendum mihi erat, nullis interea hocce horarum in spatio molestiis vexato. Alvum deposui pultaceam sine dolore tenesmove. Mox autem hanc evacuationem dolores per nonnullas horas sexagesimas durantes collici sequebantur. Qui, utrum e remedii, an e venti sedem afflantis vi pullulaverint, certe dijudicare nolens, cum alias etiam

eodem loco alvum deponens refrigerium tale interdum perpeſſus eſſem, — haud reticendi tamen mihi videbantur. Afferendum etiam eſt totum per vesp̄erem linguam faucesque sapore nauseoso ingratissimo affectas fuisse, ita ut omnino fere appetitus alimentorum deletus, cibi autem assumti oblectationis sensu carerent. — Altero die solida apparuit alvi dejectio.

Obs. II. E. F. subhypochoſtriacus, in dies tempore matutino alvum deponere solitus, die duodevicesimo m. Januar. hora quinta pomeridiana tardum ob rectum pulveris lini cath. semidrachmam in ventriculum demisit. Quinque circa post horas dejectio pultacea rectum onere liberavit, nulla in tractu intestinorum depositionem nec antecedente, nec concomitante neque sequente molestia. Per quatuor autem horarum spatium ut sapore isto nauseoso ingrato, ita praesertim sensatione austera et pungente in faucibus vexatus est. Hanc sensationem majorem quam in casu supra allato gradum attigisse verosimile e statu faucium chronico inflammatorio, quo iste laborabat vir jam diu, pendebat. Alteram versus matutinum tempus pultisimilem pariter absque ulla molestia deposuit alvum.

Obs. III. W. H. temperamenti sanguinico-phlegmatici. et constitutionis sat validae die vicesimo m. Jan. octava hora pomeridiana pulveris lini cath. semidrachmam cum saccharo albo mixtam experimenti causa sumebat. Quae deglutita mox sensum ingratum nauseosum percepit, qui per sesquihorae spatium perdurans ex faucibus ad abdomen perrexit, ita ut in praecordia tendens premensque restaret sentatio.

Peracto autem isto temporis spatio omnia quae insuavia animadvertebantur symptomata evanuerunt, solitaque hilaritas cum ciborum majori uti plerumque appetentia in conspectum venerunt. Prima luce quamvis molimina alvum ut exoneraret eum urgerent, attamen internae huic impulsioni non satisfacit; altero autem die matutino tempore pultaceam deposuit alvum.

Obs. IV. W. S. theologiae s. a. cultori, constitutionis cholero-phlegmaticae tardissima duraque alvo laboranti, eodem ac casu priori die, pulveris drachmam integram cum saccharo sumendam propinavi. De sapore ingrato-nauseoso deglutiti uti caeteri quidem questus, nullum autem abhinc effectus animadvertebat signum. Alvus clausa remanens trigesima octava denique post assumptionem hora cum tenesmo dura deiciebatur. Qui num lino cath. adscribendi essent dolores, in dubium vocarem.

Obs. V. D. med. stud. temperamenti cholero-phlegmatici constitutionis robustae die XXV. mens. Januar., cum mane duram deposuisset alvum, haud ita multo post meridiem lini cath. in pulveris formam redacti drachmam saccharo commixtam deglutivit. Graviter quidem saporem ingratissimum accusans, ceterum nihil molesti perpeſſus est totum per vesp̄erem nisi quod animus ejus suspensus deciperetur, altero enim die tempore pomeridiano prima medicamentum sequebatur alvi exoneratio, quae fluida non autem tenesmis carens quater eodem die repetebatur.

Obs. VI. L. theol. stud. constitutionis vali-

dae pridie Calendas Februar. vesperem versus pulveris lini cathart. drachmam cum saccharo tubo cibario tradebat. Saporem jam perquam moleste ferens magis quam caeteri sensationem in deglutiendo nauseosam accuserat, et per nonnullas horae sexagesimas nausea et vomitionibus vexabatur. Abhinc autem omnes evanescebant turbae, nec molestum ullum, neque jucundum lini vires in intestinis expandentis apparuit symptoma, altero enim die meridiem versus solitae solito tempore consistentes faecae deponerantur.

Obs. VII. Johanni A. puero undecim annorum, temperamentum agilis die tertio mensis Mart. experimenti causa dimidiam pulveris lini drachmam cum saccharo commixtam propinavi. Pauca quidem de sapore verba faciens, de sensu in faucibus austero relicto questus est. Nulla praeterea ei monenda fuere. Eventus optatis meis non respondebat, solida enim unaque altero die deponeratur alvus.

β) infusum lini cath. vinosum.

Obs. VIII. Septimo mens. Febr. die, meridiano facile ad concoquendum cibo assumpto, quatuorque abhinc praeterlapsis horis experimenti causa infusionis lini cath. vinosae uncias tres e drachmis duabus paratas exhausi. Infusi vinosi cum pulveris adhuc percognito gustu nullo modo comparandus erat sapor, qui, cum pulveris deglutitio ingrato-nauseosam non solum a me, sed magis etiam ab aliis perceptam sensationem semper exciverit, — mere erat amarus, aptissimeque cum tenuiori Quassiae infuso vinoso conferendus. Paullulum aquae, quam

post infusum sumtum bibi, ultima etiam amaritudinis vestigia eluebat. Nullis toto in vespere molestiis turbatus sum, si excipias primi bihorii spatio interdum in conspectum venientes ructus, quos autem, quia in univsum rari et insipidi erant et nihil vel parum fluidi regurgitabant, moleste quidem non tuli, afferendos tamen censebam, alia ex causa oriundos non putans. Hora decima impulsio interna ad dejiendam alvum aderat quidem sed negligebatur. Altero mane autem cum e lecto surrexerim recto impleto satisfaciendum erat. Sine ulla molestia alvum copiosissimam semifluidam dejeci. Hora et quod excurrit praeterlapsa alteram, nulla nec antea neque postea percepta turba, ejusdem qualitatis, minoris autem quantitatis deposui. Vespere hora octava dolores colici per horae sexagesimam durantes ad sellam me impulerunt, ubi tertiam copiosam pene fluidam peregi exonerationem alvinam.

Obs. IX. W. J., theol. candid. temperamentum sanguineo-cholerici, octavo Februarii die vesperem versus uncias duas et dimidiam infusionis lini cathart. vinosae ita paratae, ut drachmae duae tribus infunderentur vini uncias, deglutit. De sapore, utpote mere amaro neutiquam questus, vesperem sine incommodo degit. Afferendum est, hanc quoque infusi deglutitionem per primi trihorii tempus ructus secutos esse, odore tamen spidave admixtione omnino carentes. Hora undecima parvam solidamque deposuit alvum, quibusque molestiis vacans dormitum se contulit. Altero die hora fere octava operatus sphincter ad dejiendas cum im-

pulisset faeces, copiosissima pultacea demittebatur alvus, nec antecedentibus hunc actum, nec concomitantibus, neque sequentibus ullis molestiis. Tempore meridiano parciore ejusdem qualitatis in conspectum venit secunda exoneratio, et sub vesperem ejusmodi tertia sine incommodo.

Obs. X. Gustav R. nonum vitae annum agens constitutione phlegmatica, quem ante annum vermibus laborasse dixerunt, decimo quinto mens. Februar. die unciam lini cath. infusi vinosi, pariter ac in postrema observatione parati, accepit tempore fere meridiano ad deglutendum, quod etiam, nulla amaritudinis ratione habita, animo propitio perfecit. Nihil abhinc aderat, quod euphoriam turbabat, et absque ulla molestia medicamentum vim suam exerebat ita ut hora septima primum alvus pultacea copiosa deiceretur. Non multo post dormitum se contulit et quamvis prima luce expergefatto recti percepta impletio exonerationem suaderet, somnolentus tamen non satisfacit impulsioni huic. Hora octava altera sequebatur fluida depositio, qua duo etiam ascarides lumbricoides expellebantur. Ambae dejectiones sine ulla turba peragebantur.

Obs. XI. W. R. undecimum annum agens puer, oculis capillisque nigris, temperamento aestuoso, ejusdem ut frater in casu antecedente diei meridiano tempore nnciam et dimidiam ejusdem vinosae lini infusionis exhauriebat, saporem ob vini gustum laudans. Solida bihorio praeterlapso alvi dejectio lino non adscribenda est. Octava fere hora pomeridiana fluida sine molestiis evacuabantur intestinorum contenta.

Post aliquot tempus circa horam undecimam e somno expergefactus iterum deponebat alvum nonnullis hunc actum antecedentibus murmuribus. Neque sub dejectione ipsa, nec postea quidquam animadvertiebatur incommodi.

Obs. XII. B. T. medic. candid. juvenis cholericus-sanguinicus, habitus gracilioris, sexta fere post meridiem hora tertii mens. Mart. diei uncias duas et dimidiam infusi, e duabus drachmis parati, vinosi, ut lini cath. in se experietur vim purgantem epotavit. Gustum mere amarum non abnuit, nec toto vespere quidquam molesti tulit. Prima luce e somno expergefactus nonnullam ventris inflationem leniaque in intestinis murmura percepit, quae autem neutiquam impedimento fuere, quin mox redormisceret. Altero die circiter horam decimam prima semifluida deponebatur sine molestia alvus, hora praeterlapsa iterum fluida, tertiaque tempore meridiano copiosa.

Obs. XIII. W. H. jam in observatione tertia commemoratus, die horaque iisdem ac in casu antecedente, totidem, eodem modo parati infusi vinosi, uncias exorsit, saporem valde amarum, non tamen ingratum esse professus. Per vesperem noctemque integram nihil praeter normam accidit. Sequenti die, non ita multo ante meridiem alvum pultaceam mediocriter copiosam deposuit. — Octava tandem hora vespertina, levi in abdomine murmure senso, naturae parens, excrementa fluida eaque copiosissima ex intestinis deiecit.

In nulla harum sex observationum purgationem obstipatio secuta est.

γ) Infusum lini cath. a quosum.

Obs. XIV. W. J., de quo supra jam in observatione nona actum, Calend. Mart. uncias duas et dimidiam infusi lini cath. aquosi, duabus e drachmis lini paratas ventriculo sub vesperem tradidit, saporem non nimis amarum, rapidum tamen et fatuum accusans. Mox vero nauseolam, in faucium isthmo asperitatem pruritumque, et linguae radicem quasi scabram et incrassatam est conquestus. Qui sensus non parum molestus nec aqua potata, nec coena sub noctem modice assumta (quam horripilationes nonnullae comitabantur) propelli potuit. Ructus passim obyii, sapore aequae ac odore carebant. Altero mane ingrata illa symptomata evanuerant et hora fere octava intestinorum contenta parum emollita exierunt. Aliquot horis praeterlapsis pauca denuo excrementa molliuscula e recto sunt emissa.

Obs. XV. Die secundo Martii septima pomeridiana hora infusi lini cath. aquosi eandem, eodem modo ac in observ. antecedente paratam, dosin deglutivi. Sapor quidem amarus nauseosam tamen, quam in pulveris deglutitione animadvertimus, sensationem ex parte excivit. Quae cum in initio me non turbaret in bihorio autem ita ad crescebat, ut linguae radicem partesque adjacentes insuaviter austere nauseose afficeret, omnemque ciborum, quos assumsi, oblectationem tolleret. Ructus insipidi quidem, sed crebri animadvertebantur. Hora undecima aliqua abdominis, siquidem non turbans, aderat inflatio. Altero die mane sapor subamarus, caeterum nil praeter normam erat. Hora undeci-

ma alvum dejeci sat copiosam pene fluidam, hora abhinc quarta, murmure in intestinis antecedente, alteram ejusmodi, sub vesperem tertiam; nullam, excepto murmure allato, nec comitantem nec subsequentem molestiam percipiens.

Obs. XVI. W. temperamentum cholericum vespertino diei secundi Mart. tempore infusi aquosi ejusdem ac in casibus memoratis uncias duas et dimidiam epotabat. Saporem nauseosum austerum per horas in linguae radice relictum perquam moleste tulit. Caeterum nil animadvertebatur praeter normam, omnique remedium effectu carebat.

Quamvis quatuor, quas exceptis allatis cum infuso aquoso institui, observationes in hominibus sanis varia ex causa incertae sint, iterum tamen cum eo experiendi consilium non erat, cum quia postea nonnullae sequantur observationes certiores, tum quia in omnibus hisce sapore jam nimis vexati erant homines.

B) *In hominibus non sanis,*

α) pulvis lini cath.

Obs. XVII. L. A. temperamento cholericophlegmatico, constitutione habituque teneriori praeditus, pulveris scrupulos duos cum saccharo remixtos die XXVII. mens. Januarii quarta post meridiem hora in ventriculum recepit, biduum jam cardialgia dyspepsia et obstipatione alvi vexatus. De sapore ingrato longe minus quam caeteri querebatur, nullaeque deglutitionem aequiebantur molestiae. Vespertino autem tempore cardialgia reticuit, dyspepsia evanuit et appetitus rediivivus mox in integrum restitutus est

statum. Alvi purgationem ex parva ista dosi sperare vix licuit; attamen alterius diei matutino tempore pultaceam absque omni molestia alvum deiecit.

Obs. XVIII. N. constitutionis phlegmaticae, decimo mensis Febr. die, cum pridie vini plenus fuisset, lassitudine solitaque istorum misera conditione laborabat, de intestinorum, cum biduum jam alvus adstricta esset, plenitudine quereus. Qua de causa ut tonico amaro refocillarentur vires, praecipue autem alvus solveretur, pulveris drachma integra cum saccharo ei propinabatur ante meridiem, et non accusato sapore deglutiebatur. Praeterlapso quadrihorio effectus optato respondebat; alvo enim soluta, sine molestia altera alteram sequebatur dejectio pultacea cum mole intestina premente languorem etiam tollens.

β) infusa lini cath.

Obs. XIX. et XX. F. L. juvenis cholericus per quatuor jam dierum spatium alvi obstructione laborans, verosimiliter e drastico spasmodum causa adhibito oriunda, (quamvis alias etiam tardo recto affectus esset) vigesimo ejusdem mensis die ut ipsum hac levarem molestia, rogabat. Quem in scopum infusi vinosi uncias duas et dimidiam et duabus paratas drachmis ei sumendas praescripsi. — Ille autem, me inscio, tempore alterius diei matutino duas et dimidiam infusionis aquosae uncias eandemque sub vesperem ob alvum adhuc adstrictam exhauriebat dosin. Sapore quidem, ut alii, haud parum vexatus, nullas praeterea ex hacce temere instituta cura perpassus est molestias. Attamen eventus incepto non favebat, clausa enim

alvus non solvebatur. Duobus abhinc praeterlapsis diebus talia enarrans precibus me adibat, ut ingentem hanc ex bono ciborum appetitu nullaque alvi exoneratione oriundam plenitudinem tandem aliquando devincerem. Quamvis metu affectus essem, ne intestina a morbo praegresso forsitan irritabiliora e medicamento irritantis temera adhibitione quid detrimenti cepissent, accuratori tamen examine edoctus persuasum mihi habui nil nisi torporem adesse. Quare cum non esset, cur haesitarem vinoso cum lini cathart. infuso experimentum facere, septimo obstipationis die mane hujus infusi uncias tres e drachmis duabus herbae paratas sumendas ei propinavi. Nullis nec cum deglutitione conjunctis, neque eam sequentibus molestiis hora fere quarta pomeridiana sine turba alvus aliquantulum emollita copiosa deiciebatur. Num quae hancce primam sequebantur exonerationem depositiones duae vespere noctuque semifluidae ad lini vim jure referendae fuerint, nec ne, — quum juvenis quinta fere post meridiem hora integram prunorum exsiccatorum comedisset libram —, pro certo dijudicare non possum, quamquam alvi tam torpidae solutionem irritanti roborantique remedio potius quam blando atque demulcenti adscribendam esse, majorem, ni fallor, verosimilitudinis prae se ferat speciem.

Obs. XXI. A. K. socio opificis scriniarii mercenario, cholericus temperamenti, habitusque vegeti, e tribus diebus obstipato infusi aquosi uncias tres e 3j paratas die XXIII. mens. Febr. tempore vespertino praebui. Hoc autem

e medicamine nec ullam molestiam nec aliquid fructus se cepisse professus est.

Obs. XXII. Martin K. hypochondriacus quadraginta septem annos natus, ceterum habitus sat validi, per aliquot annorum spatium jam digestionem inordinata icteroque non raro laborans, nunc etiam anorexia et dyspepsia jam per hebdomadem durante vexabatur, cujus in initio evacuationes alvinae durae parcaeque fuerant; jam vero per tres dies cum clausa (quamvis absque doloribus) alvus animum ejus percruciret, ut adstrictam relaxem anxius precabatur. Quare tres uncias eodem modo ac in obs. XX. paratae infusionis vinoae die XXVI. Februarii mensis meridiem versus ei propinabam. Sapore non accusans nullas exinde molestias tulit, immo potius calefacientem e potu in ventriculum immisso sensum ortum laudavit. Hora vespertina nona praeterlapsa prima, versus decimam horam altera atque sub lucem tertia in conspectum venit alvi exoneratio, quarum trium prima parum emollita, alterae pultaceae; omnes absque ulla molestia prodierunt hominique non parvo erant gaudio.

PARS DYNAMICA.

Quum inter omnes rei medicae peritos satis constet, nullum quod alii plane aequale sit existere remedium, sed nonnulla tantum, quae post medicamenti usum animadvertuntur, symptomata ex alio remedio productis esse aequalia, — immo peculiari quodvis medicamen gaudere virtute, et proinde aliqua tantummodo ra-

tionem alterum pro altero substitui posse, — remedium secundum effectum classificatio et in systema redactio plerumque vaga est et incerta, saepissime ex arbitrio facta et confusa reperitur; non enim habemus, cui ad vim in organismum cognoscendam nobis confidendum sit duci, nisi symptomati sensibus obvio. Quare ne miremur, idem remedium a variis, qui virtutes ejus medicas descripserunt, autoribus plane alio in loco positum esse, prout magis ad haec illave symptomata, ad majorem minoremve dosin, ad effectum primum aut secundarium etc. respexerint. Accrescit etiam suspicio de medicamento vi ex arbitrio lati iudicii, si perpenderit, saepe, quamvis unum et forsitan summum, ut ita dicam, symptoma lucide nobis obviesset, ipsam tamen agendi rationem et viam qua efficiatur, ceteraque medicamenti vim suam expandentis signa tanto difficilius nucleari posse, quo saepius remedium, quando sub corporis humani fabricae imperium ditionemque cecidit, ad tempus aliquod prorsus interiisse videtur, donec tandem summus appareat effectus.

Cum eo, quod de systemate pharmacologiae dynamico breviter attulimus, nobis conferentibus classificationem chemicam, certe extra jusvis dubitationis aleam positum esse videtur, longe prosperiorem successum sperari posse, si alterum alteri medicamen secundum elementa chemica annectitur. Dolendum autem est, talem methodum, quae aliquando fortasse maxime perfecta habebitur, aevo postero relinquendam esse, cum quia chemia hodierna, in statum simpliciter reddenda, nondum firmis nititur fulcris,

tum ob parvum tantum medicamentorum numerum analysi chemica perscrutatorum. Aliud etiam classificationis principium, chemico-dynamicum puta, i. e. secundum remedii elementorum in organismum actionem, quamvis propositum esse sciam et aliquando forsitan aptissimum fore concedam, — silentio praeterire liceat, quia scientiarum ad hunc gradum perfectio adhuc desideratur.

Jam vero, cum ad argumenta fuus conferenda locus sane non adsit, summas tantummodo res attigisse sufficiat; nobis illa saepius ab aliis tractata paucis hic percurrere fuere, ut, quamquam partis dynamicæ initium alias e remedii classificatione peti soleat, nos tamen ab omni in classem aliquam redactione abstenturos fore declarem.

Sequantur nunc auctorum de lini cathart. vi purgante sententiae. Pauca in universum attulerunt; ita e. c. cl. Geoffroy (26) omne systema spernens, alphabeticum servans ordinem, nil nisi humores serosos satis valide purgare refert. Alio autem in loco linum cath. salem essentialem tartareo-vitriolicum cum oleo foetido conjunctum obtinere dicit; quam salsam admixtionem unde desumerit nescio, certe autem aliunde atque ex analysi chemica supra allata. — Egreg. Murray (27) in tractandis collocandisque medicamentis systema naturale botanicum sequens nil nisi tuto et sine molestia linum cath. alvum purgare affert. — His loco omnium

26) l. c. pag. 742.

27) l. c. pag. 490.

allatis viris, quum inter auctores operum temporis antiquioris pharmacologicorum, qui lini cath. mentionem fecerunt, praestantissimi sint, ad nostrum transeamus tempus, in libris materiam medicam tractantibus praesertim ab Hecker (28), Richtero (29), Horaninow (30), atque Edwards et Varasseur (31) linum cath. in medicamentorum numerum receptum invenientes. Cl. Heckerus eadem de medicaminis nostri vi purgante afferens quae cl. Murray dixit, linum cath. remediis acribus adnumerat, atque in illa eorum subdivisione collocavit, quae pharmaca resina amara materique sic dicta extractiva amara praedita continet. Nulla autem a Heckero chemica allata est analysis, et jam sedula perscrutatione edocti scimus, nullam extare nisi illam Geoffroyanam, e qua certe nec resina nec materia extractiva amara eruendae sunt. Quid ergo concludamus nisi e sapore vel ex effectu purgante omnia cetera jam eluxisse: remedium inter acria ponendum esse resinaeque etc. amara gaudere. Ejusmodi syllogismi num valeant ad remedia parum adhuc cognita magis dilucidanda, aliorum arbitrio relinquo.

Cl. Richter lino cath. locum inter purgantia drastica, quibus carere possumus, desig-

28) Hecker's praktische Arzneimittellehre. Erfurt 1829. Tom. I. pag. 618.

29) l. c.

30) Horaninow: Systema pharmacodynamicum. Petrop. 1829. pag. 36.

31) Handbuch d. Mat. med. v. Edwards et Varasseur. Aus d. Franz. Weimar 1827. pag. 624.

navit. Remedium hoc indigenum sine jure forsan sperni contendit, quum in forma pulveris atque infusi aquosi virtutem sat valide purgantem ostendat. Argumenta quibus nixa est haec sententia non protulit. Horaninow conspectum tantum systematis pharmacodynamici describens, medicamentum nostrum pharmacis purgantibus drasticis adnumerabat. Cum autem omni interpretatione uberiori conspectus careat, argumenta et quidem observationes sine dubio ad confirmandam sententiam ei adesse jam ex prooemio concludi licet, quamvis, uti scimus, nil ejusmodi nisi Slevogti programma foras datum sit.

Edwards denique et Vavasseur novam plane atque a nullo antea auctore tritam inierunt viam, linum cath. in medicamentorum emollientium demulcentium numero collocantes pone linum usitatissimum, quamvis non alphabeticum ordinem sed omnino dynamicum systema secuti etiam ad hujus lini speciei vim purgantem respexerint. Dolendum est, ne ullam quidem ab illis observationem neque argumentum aliquod allatum esse, e quibus iudicium ferre possimus, num iis consentiendum forsan sit, an negligentia in systemate dinamico alteram alteri lini speciem subjungentium sit accusanda.

Recapitulantibus quae a nobis observata sunt, mox erit perspicuum, quoad vim purgantem inter varias lini cath. adhibendi formas distinguendum esse. Herbae in pulverem redactae sapor fere omnibus jam displicuit; quem minoris habendum esse momenti quamvis probe sciam, tamen, cum faucibus per longum tempus

inhaerens euphoriam turbet, negligendus non est, praesertim cum obs. IV., VI., VII., tuto interdum medicamentum tali in forma carere eventum, nos doceant. Infusi aquosi eadem, atque majori etiam in gradu vitia accusanda sunt. — His autem quas attuli, mendis infusum lini cath. visosum omnino carere omnes demonstrant observationes. Sapor enim ejus mere amarus est, quem cum constet sane inter meliores referendum esse medicamentorum saporibus, placidoque fere ab omnibus excipi animo, nil obstat, quin plurimis etiam haec, praesertim relate ad pulverem aquosumque infusum, conventura sit forma; nobis certe arrisit. — Virtus ejus purgans omnino voto respondens in eo etiam casu (Obs. XX.) ubi aquosa infusio successu carebat, efficacem se praesentit. Medicamentum nostrum in nulla nisi organa quibus ingestum est, atque intestinorum praecipue in systema vegetativum exercere vim ex observationum serie liquet; nullam enim systematis vasorum praecipuam affectionem ut ex Aloe etc. produci cum e symptomatibus allatis, tum ex hocce concludere licet, quod tempore, quo infusi aquosi pulverisque in me expertus sum virtutem, tumoribus haemorrhoidalibus laborans, ne minimam quidem eorum irritationem observavi, quamvis per alios stimulos e. gr. spirituosos alias raux valde excitarentur. Nullam etiam majoris momenti stimulationem nervorum uti secundum cl. Vogt ex Scammonio etc. oritur, ex iis, quae observavimus, extorquere possemus. — Alvi obstipationem quantum experti sumus nunquam subsequutam esse, quod ex parte jam attulimus, etiam non

nihili aestimandum esse censemus. Quare sententiam illam, in qua hucusque omnes inter se consenserunt auctores: linum cath. absque ulla molestia tutoque purgare, aliqua certe ex parte modificandam esse putamus. Concedentibus enim, molestias tantum in faucibus affuisse, verbaque „sine molestiis“ forsan ad ipsam tantum alvi purgationem relata esse, — plena tamen hujus sententiae laus, praesertim quoad tutam alvi solutionem nequaquam pulveri atque infuso aquoso, non sine jure autem vinoso infuso tribuenda esse videtur; quare hocce infusum lini cathartici vinosum in omnibus ejusmodi casibus ubi alvus purganda est, atque nil obstat, quominus vini usum admittamus, dignum quod in auxilium vocetur, censemus.

Restat jam, ut dissertatiuncula hacce qualicunque nunc ad finem vergente tibi, L. B., confitear, quae ex observationibus, quas institui, patebant, non omni ex parte iis respondiisse, quae in animo habui, remedium vernaculum omnium in manibus versans in peregrinorum purgantium loco ponere, speretumque forsan sine jure tenebris in quibus jacet, eripere. Judicium quod tulimus ex parte ab omnium autorum sententia discrepare, non ita mirum videbitur si perpendimus purgatoriam lini cathart. vim commendatam esse tempore, quo peregrina ista ubique probata purgantia omnino non vel parum tantummodo adhuc innotuere, recentioris autem temporis auctores, plantae virtutem non examinantes, laudes ad verbum transcripserunt. — Aliae vero, quae a variis auctoribus laudantur, medicamenti nostri virtutes, e. g. anthelminticam, hydragogam, in renum morbis salubrem, febrifugam etc. examinare atque dijudicare, cum a nostro scopo alienum sit, aliis relinquimus.